



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio IX. De Resignatione Beneficii speciem habente Resignationis in
favorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

risdictione exercentis: partim quia privilegium vel consuetudo, vel data particulariter potestas exercendi Pontificalia in Ecclesia exempta, sunt strictæ interpretationis. *arg. c. 5. & Clem. cit. Fagnanus in c. quia nos 6. eod. n. 8.* ideo à Pontificalibus non extendenda ad alios actus officii, potestatis, jurisdictionis, v. g. ad ordinandos Clericos, cognoscendas causas litigiosas &c. ne personis exemptis inferatur gravamen, vel exemptioni præ-

judicium. *Clem. cit.* ergo nec ad usum Pallii, quo designatur officium pastorale, potestas, & jurisdictione Ecclesiastica. Nempe per Pontificalia, in odiosis saltem & strictè non venit usus Pallii in puncto Juris. Unde fuit responsio etiam ad *Confirmationem*; quia præferri Crucem est præcisè signum honoris & præminentia, non officii, potestatis, aut jurisdictionis, sicut uti Pallio.



TITULUS IX.

De Renuntiatione.

DECISIO IX.

De Resignatione Beneficii speciem habente Resignationis in favorem.

SPECIES FACTI.

PAulus Parochus, ætate gravis, viribusque paulatim deficiens statuit suum beneficium parochiale in Timotheum, sanguine junctum, actu sacerdotem, & gradu licentiæ insignem, plurimumque dilectum transferre, haud ex vano credens, nisi ipse vivus adhuc eidem providerit, illum post fata sua non facile, & non nisi post seros annos promovendum, ut pote omni alio Patrono & fautore po-

tenti destitutum. Interim tamen novit ex SS. Canonibus, resignationem in favorem prohibitam ab Episcopis acceptari non posse, à Patrono autem, penes quem residet jus præsentandi ad dictam parochiam, validè promitti non posse præsentationem novi Parochi, antequam absolutè vacare inceperit Parochia. Quapropter adjit Patronum, & porrecto supplici libello petiit, ut Timotheo spes fieret præ-

sentationis in eventum resignationis
fuit, id quod etiam obtinuit in scripto.
Tum in litteris ad Episcopum, in cujus
diocesi hæc Parochia est sita, datis
liberè & sine ullius personæ, cui ob-
venire desiderabat hoc beneficium,
expressione renuntiavit parochiæ, ad-
dita tamen clausula, qua rogavit ad-
mitti eum, quem Patronus postmo-
dum præsentaverit, secus enim in 2-
nimo sibi non esse Beneficiò cedere,
widrigen fahls wäre er nicht ge-

sinnnet sein Pfährlisches Beneficium
auf Händen zulassen. Resignatio-
nem taliter factam, & ab Episcopo
admissam, exhibuit Patrono novisque
precibus institit pro actuali sui Ti-
mothei præsentatione ad Parochiam,
utpote actu vacantem, quam & Pa-
tronus, quia aptitudinem Timothei,
& dignitatem perspectam habuit, li-
beraliter concessit. Jam est, vel sal-
tem moveri potest

QUÆSTIO.

*An hæc resignatio non fuerit in favorem, consequenter an
ab Episcopo acceptari potuerit de Jure?*

Videri fors possit, facta esse in
favorem, consequenter ab Or-
dinario acceptari non potuisse, utpo-
te cui resignationes conditionales, ma-
ximè in favorem, admittere prohibitum,
& summo Pontifici reservatum esse
tradunt DD. uno ore ex notorio stylo,
& decisionibus Rotæ apud Flamin.
Parisium de resignat. beneficiorum l. 2. q.
3. n. 112. l. 5. q. 6. n. 1. l. 8. q. 7. n.
12. ex hoc fundamento; quia resi-
gnatio in favorem dicitur esse, quan-
do resignans petit, ut beneficium con-
feratur certæ personæ: sed Paulus in
sua resignatione intendit & petiit suum
beneficium parochiale conferri certæ
personæ, scilicet Timotheo ex sor-
ore nepoti suo: ergo. Nec obstat,
quod in resignatione sua hæc perso-

nam determinatam non expresserit,
sed liberè, prout verba sonant in spe-
ciem, resignare se asseruerit; siqui-
dem mens ipsius inspicere debet, qua cer-
tam personam, scilicet Timotheum,
designaverat, atque de illo præsentan-
do se certum reddiderat prius apud
Patronum. Id quod confirmatur hoc
modo: Paulus in renuntiatione sua
adjecit hanc conditionem, se aliter non
velle resignare, nisi instituat præ-
sentatus à Patrono, à quo impetrave-
rat prius certitudinem præsentationis
futuræ, widrigen fahls wäre er nit
gesinnnet sein Beneficium auf Hän-
den zulassen: ergo hæc resignatio non
fuit pura, sed conditionata, seu sub
conditione, si instituat certa perso-
na à se tacitè designata, consequen-
ter

ter in hujus favorem, qua non instituta vel non instituenda dimittere noluit parochiam suam.

Sed tenendum est contrarium, hanc Pauli resignationem non fuisse in favorem, adeoque ab Ordinario admitti potuisse; quia in ea nec fuit expressè posita, cui conferendum esset Beneficium, certa persona, nec tacitè, cum pacto & obligatione alia, quàm quæ ipso Jure inest, Ordinario imposta; imò expressè addidit Paulus, se liberè in manus Ordinarii resignare; & quamvis addiderit conditionem, se nolle beneficium dimittere, nisi instituat presentatus à Patrono, per eam tamen Ordinario non est imposta obligatio alia, quàm quæ ipsi de Jure incumbit; cum per se & ex dispositione Juris *can. 32. caus. 16. q. 7. c. 8. 18. 24. Sc. de Jure Patronat.* teneatur instituere presentatum Episcopus. Quando autem adjicitur conditio, quæ de Jure inest, resignationem taliter conditionalem ab Episcopo, atque ejus loco à Vicario Generali admitti posse, communis est sententia, ut docet Laurenus *in foro benef. p. 3. q. 381. n. 4.* imò conditiones, quæ ipso Jure insunt, licet expressè addantur, non faciunt actum conditionatum. textus, & ibi Brunem. ac Zoes. in *l. 99. ff. de condit. & demonstr. l. 3. C. de fidejus. Sanch. l. 5. de Matr. m. d. 1. n. 6.* Ferd. Christ. Harpp. *Conf. 16. n. 673.* Accedit, quòd in Diocesi, in qua beneficium hoc situm est, & resignatio contigit, consuetudinis sit admitti ab Ordinario resignationes beneficiorum cum petitione

supplici, ut certæ personæ conferatur, & cum hac clausula, *Widrigen sals wate der Resignans nit gesinnet sein Beneficium auß Hånden zu lassen / ut ipsemet legi in litteris cujusdam Officialis optimè gnari, quid in ea Diocesi consuetudinis sit & styli, atque existimantis, hujusmodi Resignationem propriè in favorem non esse.*

Antequam ad opposita respondeam, adverto ex Laurenio *p. 3. §. q. cit. n. 1.* non usque ad eò communem omnium sententiam esse, quòd coram Ordinario nequeat fieri resignatio in favorem propriè dicta; siquidem contrarium tenent Boërius *de pot. leg. q. un. n. 111.* Sotus *de Justit. l. 9. q. 7. d. 2.* Covarruvias *l. 1. var. C. 5. n. 5.* modò inter resignantem & resignatarium nulla conventio prohibita, & temporalis repromissio interveniat. Quibus fortè in quibusdam locis faver quoque praxis, & in præfata diocesi saltem quoad resignationem cum precibus & dicta clausula, sive dein dicatur tunc esse resignatio in favorem propriè, sive impropriè talis. Cui resignationi sub tali clausula, qua stante in arbitrio Episcopi, etsi esset beneficium collativum (& non patronatum, quale tamen est nostrum) foret illi certæ personæ beneficium conferre, vel non conferendo facere, ut resignatio cesset, faver quoque apud Lauren. *q. 727. n. 2.* Valent. *to. 3. d. 6. q. 16. n. 3.* Zerol. *in prax. Episc. p. 1. v. renuntiatio. §. 2. §. 3.* Vega, Staphil. &c. Et quamvis à Pio V. dicatur hujusmodi renuntiatio apud Ord-

Ordinarium prohibita, & collatio irritetur, tamen huic Constitutioni, si tamen aliquando in his partibus promulgata vel recepta sit, potuit per consuetudinem derogari. Verum non indigemus his effugiis, sed *q.* ad fundamentum oppositum. Non sufficit ad resignationem in favorem constituendam solum petere vel intendere promotionem certæ personæ, nisi Collatori per pactum imponatur obligatio conferendi beneficium certæ personæ. Covarruv. *lo. cit.* Barbosa, & alii passim, quod in nostro casu non est factum, imò neque certa persona à resignante est expressa. Ad id, quod additur, dico: licet resignans in animo intenderit, ut institueretur certa persona, quam Patronus præsentaverit, per hoc tamen neque Episcopo imposuit obligationem, quam non jam aliunde habuerit, scilicet instituendi præsentatum, si is fuerit dignus, neque Patrono obligationem præsentandi certam personam; quia apud hunc præcisè sollicitavit Timotheo suo spem fieri præsentationis in eventum resignationis acceptandæ ab Episcopo: unde certus non fuit de illo præsentando, sed solum sperabat, eum à facta Timotheo spe non facile recessurum, licet recedere potuisset, & alium præsentare. Ad Consumatio-

nem: per illam conditionem Episcopo non est imposta obligatio nova, & alia, quam non jam antecedenter habuerit, scilicet ad instituendum, qui fuerit præsentatus: Patronus verò fuit adhuc omnino liber ab omni obligatione præsentandi, non obstante, quòd prius spem fecerit Timotheo, eò quòd is, cui competit jus præsentandi, probè noverit, non posse promitti validè præsentationem ad beneficium necdum vacans, ita ut inde obligationem contrahat Patronus. *c. 2. x. et c. 2. in 6. de Concess. Præb.* Huiusmodi autem conditio, quæ de Jure jam inest, non facit resignationem propriè conditionalem, neque in favorem, ut Jurisperiti nôrunt & docent communiter. Taceo, quòd præfata conditio per praxim in ea diocesi receptam non censeatur facere resignationem in favorem, vel, si etiam faceret (quod tamen nunquam concedo, si beneficium sit Patronatum, & Episcopi tantùm sit instituere præsentatum, ad quod aliunde jam tenetur, non verò conferre) nihilominus saltem vi consuetudinis resignatio dictò modò facta ab Ordinario admitti posset. Unde non est, cur vel Episcopus vel Paulus resignans scrupulum hac in re sic gesta sibi faciat, vel resignatarius Timotheus sibi metuat.

